

1549

Suleimanus, lustrato exercitu, pervenisset, qui trecentorum & quinquaginta millium, majori ex parte equitum, fuisse fe-
rebatur, selectorum ingentem manum cum Elcano prae-mittit,
qui aut æquo Marte cum hoste confugerent, aut reliquas co-
piae praestolarentur. Persa praelium detrectat; agros circum-
quaque incendit; Taurisium, incolis abductis, vacuum hosti
relinquit; penitiora Persidis ingreditur. Eo gravi, ac pericu-
loso bello nihil, praeter inanem ostentationis laudem Suleima-
nus tulit, multis suorum ab hostibus caesis, multo pluribus
fame absumptis, morbisque, qui passim per exercitum pesti-
fera lue grassabantur, confectis. Elcanus transfuga spe deje-
ctus, relicto Suleimano, ad suos se recepit, Turcis eo infen-
sior, quo majori spe deturbatus fuerat. Suleimanus vero cum
copiarum reliquiis Aleppum se conferre, atque ibi hyemare co-
actus, incredibili adeo fastu efferebatur, ut ingentem exercitus
jacturam parvifaceret, & partam a se victoriam jactaret. Qua-
propter ex ea civitate Ferratem legatum cum literis ad Sena-
tum misit, quibus res a se in Perside gestas, suasque victo-
rias significabat. Et quoniam a Rhodi insulae praefecto Vene-
tis navigiis haud parva illata damna fuerant; literas ad illum
dedit, quibus, ut a Venetorum rebus abstinere, gravissimis
propositis poenis, monebat. Ferrati aedes publico nomine, ac
victus suppeditatus; gratiae Suleimano per literas actae; de Per-
sici successibus gratulatum; quamprimum Byzantium revertis-
set, ad eum legatum, qui coram id officii praestaret, missum
iri. Licet vero pax, ea tempestate cum Suleimano Reipublicae
intercederet, complura in navigia, atque homines Venetos a
barbaris committebantur, qui maria undique obsidendo, di-
reptionibus, latrocinis, ac sceleribus omnes Mediterranei oras
foedabant; in primisque Dragutes, christiani nominis acerri-
mus hostis, qui olim Genuensium captivus ad transtra remiga-
re coactus, mox libertatem adeptus, inexpiabili odio in cun-
ctos saevissime debacchabatur. Erant praeterea Salarais, Cor-
cutes, atque alii, qui piraticam exercendo, magno metu, ac
terrore navigationi incumbentes concusserant. Haec cum Sena-
tui valde molesta forent, quod itinera negotiatoribus impedi-
rentur, praefecto classis, ut selecta triremium manu piratas
persequeretur, injunxit; quatuor triremes armari in urbe jus-
sit.

*Taurisium
a Persis re-
lictum Tur-
ca occupat.
Turcarum
exercitus
cade &
morbis con-
fectus.*

*Elcanus
Turcas de-
serit, ad
Persas de-
nuo accedit.
Suleimanus
Aleppum se
confert.*

*Ferrates a
Suleimano
cum literis
Venetias
mittitur.*

*Senatus li-
teras ad Su-
leimanum.*

*Dragutis &
aliorum pi-
ratarum di-
reptiones.*

*Senatus
mandata
ad classis le-
gatum de
piratis per-
sequendis.*